



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber De Prudentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. II. De sapientia Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

mientium , æterna vigilia charitatis,  
sollicita p̄cordia ad amorem impel-  
lentis. Hæc est pars quærentium me, &  
vendentium omnia bona sua , pro pri-  
mogenita dilectione mea. Propter  
quod , dilectissimi filij, non deberetis  
permittere somnum oculis vestris , &  
palpebris vestris dormitionem, do-  
nec inueniretis pretiosissimum amo-  
rem meum , multis laboribus exquisi-  
tum ad fabricam ferculi Salomonis;  
qui media ferculi, suauissima charitate  
eupit ornare, propter filias Ierusalem.  
Hæc meditamini filij, & totis visceri-  
bus corda vestra mihi præparate, vt a-  
more vestro allectus , recliner in eis,  
tanquam sponsus in thalamo suo.

## C A P. I I.

*De sapientia Christi.*

PARVA illa sapientia , quam ho-  
mines inter tenebras ignorantiae,  
in scholis discunt, eos apud alios ho-  
mines adeò mirabiles, & amabiles fa-  
cit, ut eorum gratiam captare , & se-  
cum habere, etiam principes terræ cu-  
xent. Quid ergo facere deberetis filij  
erga

erga me , in quo sunt omnes thesauri  
sapientiae , & scientiae Dei : Ego altissi-  
ma sapientia ab initio , & ante saecula  
creata sum ; intuitusque meo , omnia Dei  
opera , & omnia inenarrabilia Dei se-  
creta contempler . Ego numero are-  
maris , & multitudinem stellarum ,  
omnibus eis nomina voco Ego nun-  
ro guttas aquae maris , & profundus  
abyssi penetraui . Ego cum Patre ,  
spiritu meo feci Cœlos in intellectu  
& certa lege , ac gyro maris undas val-  
lavi , ne transirent fines suos . Omnia  
composui , in numero , pondere , & me-  
tura , vocans ea quæ non sunt , sicut ea,  
quæ sunt , lustrans omnia limpidissimis  
oculis meis . Ego comprehendeo sapien-  
tes in astutia sua ; nequè est , qui se ab-  
scondat à conspectu meo . Ego absconde  
do ineffabilia mysteria diuinitatis , &  
humanitatis meæ mundi sapientibus ,  
& prudentibus ; & reuelo incerta , &  
occulta mea parvulis , vt non glorie-  
tur coram me omnis caro . Beatus  
qui audit me , & vigilat ad fores  
meas quotidie , & obseruat ad postes  
ostij

ostij mei. Qui me inuenierit , inueniet  
immortalem, & dulcissimā vitam , &  
hauriet pretiosissimam salutem à Do-  
mino. Si ergo sapientiam æstimatis fi-  
lij , me sapientiam æternam totis viri-  
bus fortissimè diligite , & splendorem  
meum sole clariorem , suavitatemque  
meam omnibus mundi voluptatibus  
maiorem, die , nocteque requirite. A-  
scēdite multiscordis erectionibus ad  
secretam scholam sapientiæ, vbi , cum  
mundi contemptu , gustetis saporem  
meū. Orate viriliter , & pulsate ut ape-  
riantur oculi vestri , ad videndam lucē  
formosissimam , cuius comparatione,  
non splendent astra matutina. Sanctifi-  
camini , & estote parati, ut accedentes  
ad me illuminemini , & seraphicis flā-  
mis ardeatis. Interim verò , dum solo  
auditu accipitis famam sapientiæ, quæ  
omni thesauro amabilior est, finite vos  
trahi post me , & amoris gressibus ad  
me cupidissimè properate. Ego vos fi-  
deles seruos meos in abscondito doce-  
bo mirabilia magna, & implebo spiri-  
tu sapientiæ, & intellectus, casta & hu-  
milia corda vestra.

CAP.